

alias frustra dubitaret Consultus, an censeatur in aliis partibus fundi quæ sita possessio? Ita singulariter tenet & declarat Socin. in dict. leg. 3. 2. column. 4. notabili. Vincent. in §. Ex contrario, ejusdem legis, 3. column. num. 5. nec alius hoc tangit nec declarat. Sed salva eorum pace, ego teneo contrarium, imò, quòd etiam in aliis partibus fundi censetur intervenisse actus verus & naturalis, & non censetur fictus: quia considero, quòd ille actus verus & naturalis qui intervenit in parte fundi, & virtus & effectus ejus extenditur ad omnes alias partes & sic virtualiter & extensive censentur aliæ partes possideri verè, & naturaliter, & non ficto modo; & per consequens, quicquid dispositum & statutum est in actu naturali, & possessione naturaliter quæ sita, habet locum in nostro casu, & sic in aliis partibus fundi: & istud est quod propriè & in terminis voluit text. in dict. leg. 3. noviter & subtiliter per me declarata: & hoc videtur voluisse Bald. in cap. 2. de Convent. 1. col. num. 2. ubi dicit, quòd illud quod derivatur ab aliquo, & est ei annexum, sapit naturam concreti, ut gleba alicujus fundi.

Ex quo deducitur & inferitur, quòd si lex nova vel regia excluderet omnes actus & modos fictos quærendi possessionem, non censeretur exclusus iste. Secundò inferitur, quòd licet lege vel statuto caveatur, quòd procurator non possit quærere possessionem per actum fictum; tamen benè posset quærere per actum naturalem in parte fundi, ut per hoc videatur etiam quærere in aliis partibus. Tertio deducitur & inferitur, quòd licet per visum vel actum fictum non possit quis quærere possessionem nisi concurrente voluntate tradentis, ut infra dicetur; tamen isto casu per ingressum unius partis fundi potest quis quærere possessionem in omnibus aliis partibus fundi, nulla concurrente voluntate tradentis. Quarto & generaliter deducitur & inferitur, quòd omni illa quæ sunt disposita à jure in possessione quæ sita vel quærenda per actum verum & naturalem, & effectum ejus, habebunt etiam locum in aliis partibus fundi non apprehensis vel occupatis: quia virtus & effectus adhibitus in parte fundi occupata, virtualiter extenditur ad alias partes.

36 Sed attende, quòd contra dispositionem text. in dict. leg. 3. & ejus conclusionem sic declaratam, quæ habet, quòd per ingressum partis quæritur possessio totius fundi: facit text. notabilis & subtilis in leg. 1. §. Julianus ait. ff. de Irim. actuque privat. ubi dicitur, quòd pro illa tantum parte fundi in qua quis ingressus est competit interdictum: & sic præsupponit, quòd ad alias partes non extenditur possessio: cujus

verba sunt: Julianus ait, quoadusque ingressus est fundum, eo usque ei competere interdictum: quod verum est: Sed ad illum text. vera & notabilis solutio & intellectus est: Quòd ibi loquitur in quærenda servitute vel jure super fundo alieno, & quærenda quasi possessione ejus, alio existente in vera & actuali possessione: quæ quidem quasi possessio juris, vel servitutis, solum quæritur in partem fundi in qua ingressus fuit; non verò in aliis partibus: quia in eis non habuit animum quærendi possessionem, nec dominus vel possessor fundi habuit animum persequendi: qui quidem animus præsumitur ex actu vel usu limitato usque ad certam partem fundi: unde, meritò in aliis non est quæ sita possessio: In dicta verò leg. 3. & conclusionem superiori, ille qui ingressus est certam partem fundi, apertè habuit animum quærendi possessionem etiam in aliis partibus, & processit voluntas possessoris fundi tradentis; vel res vel fundus vacabat: & hoc probat text. in dict. leg. 3. dum dicit, dum ea mente & cogitatione hac fit, ut totum fundum usque ad terminum velit possidere. Et iste est verus & realis sensus & intellectus prædictorum jurium: & in terminis ita voluit Gloss. ordinaria in dict. §. Julianus ait, & ibi Bart. Alber. & Angel. de Perus. qui summe notant & commendant illum text. in sua principali decision. & ita etiam videtur tenere & declarare Bart. in leg. Cum de in rem verso. ff. de Usuris, penult. column. num. 10. idem Bart. in Authent. qui rem fin. column. Cod. de Sacros. Eccles. Cuman. in leg. 3. ff. de Acquirend. posses. 2. column. prope finem, & ibi Alexand. penultim. column. in medio. Vincent. 16. column. num. 38. Abb. notabiliter in cap. Cum olim. de Prescriptione. penult. column. ultimo notabili, Cæpola in tract. de Servit. rustic. prad. cap. 1. de Servitutibus itineris 9. column. versic. & nota diligenter.

37 Ex quibus infero singulariter, quòd si quis vult quærere aliquod jus, puta, usumfructum, vel aliam quamlibet servitutem in aliquo fundo de voluntate & consensu domini possidentis fundum, quòd acquireret illud jus, servitutem, & quasi possessionem ejus per ingressum vel usum in qualibet parte ejusdem fundi, per supra dicta. Pro qua sententia facit text. in leg. 3. vers. Dare. ff. de Usufructu. ubi probatur, quòd per ingressum fundi de voluntate concedentis, quæritur jus ususfructus: non ergo est necesse, quòd in omnibus partibus ingrediatur, sed sufficit attingere quamlibet ejus partem: & per illum text. in dict. §. Dare, ita tenet & declarat Innocent. in cap. Litteris de restitut. spoliat. 2. column. 6. tenet etiam & declarat Alexand. in dict. leg. 3. penult. column. Facit etiam text. in leg. Si

fillicidii, §. fin. Cum leg. Sequenti. ff. Quemadm. servit. amittant. ubi dicitur, quòd si quis habet servitutem in fundo alieno, conservat & retinet quasi possessionem ejus per usum partis fundi: idem etiam probat text. in leg. Is qui usumfructum. ff. Quibus modis ususfructus amittatur, text. in leg. Arboribus. §. de Illo. ff. de Usufructu, & ibi communiter DD. Et si dicas, quòd ista jura loquuntur in retinenda & conservanda servitute jam quæ sita, & in esse deducta, & quasi possessione ejus; non verò in acquirenda de novo: Respondeo, quòd eadem ratio videtur in utroque casu; cum non tractetur de præjudicio alterius possessoris fundi, sed de ejus voluntate & consensu quæritur vel retineatur. Et ex ista consideratione & ratione, & non alia, hoc expressè tenet Bartol. in dict. leg. 3. fin. col. ff. de Acquir. posses. ubi dicit, quòd si quis vult quærere jurisdictionem vel quasi possessionem ejus in aliquo territorio vel caltro, illam quærit si exerceat solum unum actum de voluntate & consensu domini habentis ipsam jurisdictionem: aliàs, si vult eam acquirere ex propria persona sine consensu & voluntate domini, tunc per usum & exercitium alicujus actus jurisdictionis non acquirit totam jurisdictionem, sed tantum quærit jurisdictionem & quasi possessionem illius certi actus. Quam sententiam & conclusionem Bart. sequuntur indifferenter omnes DD. in dict. leg. 1. de Acquirend. posses. idem Bartol. Alber. Angel. & communiter DD. in dict. leg. 1. §. Julianus ait. ff. de Irim. actuque privat. quem legit Bartol. in §. Præcedenti.

Advertendum tamen, quòd contra communem intellectum quem assignavi; ad text. in dict. leg. 3. de Acquir. posses. & ad text. in dict. §. Julianus ait, se offert subtilis difficultas: Nam sequeretur, quòd si quis emeret rem à non do-

mino bona fide, vel alio titulo haberet & intraret fundum in certa parte pro quærenda possessione; non posset præscribere alias partes, nec eas possidere: quia tunc possessio non est quæ sita de voluntate domini. Sed notabiliter respondeo, quòd imò quæritur possessio & præscriptio in aliis: Nec obstat text. in dict. §. Julianus, & communis intellectus ejus: quia debet intelligi respectu servitutis, quæ potest respicere magis unam partem fundi; secus verò in dominio, quod respicit uniformiter totum fundum: Quod declaro sic: nam quando agitur de quærenda servitute, ingressus non videtur habere animum possidendi in aliis partibus: sed quando agitur de quærendo dominio, ingressus videtur habere animum possidendi totum fundum, & ita præsumitur; ideo per ingressum partis quæritur possessio in omnibus, & per consequens dominium & præscriptio.

Unum tamen est, quòd licet per ingressum alicujus glebæ vel partis fundi censeatur quæ sita possessio totius fundi, ut supra dictum est; tamen illud est verum, & procedit, quando totus fundus est unicus & continguus. (m) Sed necessario quæro: Quid si sunt plures fundi diversi, & distincti? an per ingressum unius fundi, vel partis ejus, cum animo & voluntate quærendi omnes, acquiratur possessio omnium? In quo subtili & necessario articulo resolutivè dico sic: quòd si alii fundi sunt ejusdem naturæ & quantitatis, ut plures fundi rustici ad arandum & seminandum; per ingressum unius, vel partis ejus, acquiruntur cæteri, etiam si inter se divisi sint per limites, sepes, vel fossata; quia illa non est propria & realis divisio, ut faciat plures diversos & distinctos fundos de per se, sed fit tantum gratia commodioris culturæ, argumento text. in leg. Caius Sejus. §. Titius. ff. de Le-

(m) Confirmatur noviter & subtiliter; quia servitus afficit & respicit aptitudine & effectu totum fundum, vel quamlibet ejus partem & glebam, tam ex parte utentis, quam patientis: ideo, meritò, quando agitur de ea quærenda mediante præscriptione contra voluntatem domini ipsius fundi servientis, coarctatur & restringitur, ut non extendatur ad alias partes: Quando verò agitur de quærendo dominio mediante præscriptione, per ingressum partis quæritur possessio & præscriptio in toto fundo; quia uniformiter & virtualiter respicit in totum fundum pro indiviso, & non magis unam partem quam aliam; & concurrunt voluntas ipsius acquirentis & ipsius concedentis, & militat ratio & propria decisio text. in dict. leg. 3. de Acquir. posses. Rursus etiam confirmatur: quia illud quod operatur & disponitur à jure in titulo concesso & habito à domino respectu domini quærendi, habet locum in titulo habito à non domino respectu quasi domini quærendi, ut in leg. Clavibus. ff. de Contrah. empt. & in leg. Qua ratione. §. Si quis. ff. de Acquirend. rerum dom. & in leg. Eum qui §. 1. ff. de Supplicaria, & in §. Item si quis. instit. de rerum divis. & in §. Ex his per quas personas, & utrobique communiter DD. & notat. Pomponius. §. Si jussu. ff. de Acquirend. posses. & in §. Sed iste quidem, Institut. de actionib. Sed respectu domini per ingressum partis quæritur possessio & dominium in toto fundo: Ergo similiter respectu quasi domini.

*Legatis* 2. ubi, si testator simpliciter legavit fundum Sejanum, quem per partes locabat; omnes partes veniunt in legato: quem textum ad hoc reputat ibi unicum Alber. & commendant ceteri DD. notat etiam Glossa ordinaria, & ibi DD. in leg. *Jubemus la 2. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Si verò sunt fundi penitus distincti & separati, ut fundus rusticus, vinea, hortus, nemus, mons, pratum, vel pascua; & à fortiori, si sit fundus urbanus, ut domus, ædificium, vel quid simile: tunc, per ingressum vel apprehensionem unius, vel partis ejus, non quæritur possessio aliorum, sed oportet particulariter in quolibet fundo intrare & quærere possessionem, etiam si ea intentione & animo intret, ut in omnibus velit quærere; etiam præcedente titulo, & licentia domini adhibita, in absentia rerum; vel dato quòd res sint vacantes: quia cessat ratio & intentio text. in *dict. leg. 3. ff. de Acquir. possess.* quia aperte fundat se in continuatione unius & ejusdem rei: unde, eo casu quo fundi sunt distincti & separati, non habet locum, nec procedit illa lex: & hoc expressè voluit, in quantum dicit, *ut totum fundum usque ad terminum velit possidere*: & istam doctrinam & resolutionem, licet non sic specificè declaratum, tenet Gloss. ordinaria notabilis in *dict. leg. 3. de Acquir. posses. in gloss. fin. quæst. & ibi Bart. 2. column. num. 4. Cuman. 2. column. post medium. Alexand. 6. column. num. 21. Socin. fin. column. in fin. Jas. 5. col. n. 30. Vincent. 15. column. num. 30. idem Bart. in leg. *Ricta dicimus*, §. *fin. ff. de Verb. sign. Dio. in cap. 11. de Reg. jur. in 6. 7. column. 4. quæst. Angel. in leg. *Licet*, *Cod. de Acquir. posses. 1. column. in fin. & ibi Bald. 1. lectur. 2. column. num. 5. & ibi Salyc. fin. column. in medio. Innocent. uno verbo in cap. *Dilectus de capel. monach. 1. column. Speculator in titul. de primo Decreto. §. Jam de effectu*, versic. *Sed quæritur* Ant. de But. in cap. *Litteris de restit. spol. 10. column. num. 30.****

39 Advertendum tamen est, quòd istam communem doctrinam & conclusionem superiorem ego singulariter limito & intelligo modis sequentibus: Primò, quòd licet per ingressum & apprehensionem unius fundi, vel partis, censeatur quæsita possessio in omnibus aliis fundis ejusdem naturæ & qualitatis; tamen illud debet intelligi, quando omnes illi fundi uno & eodem nomine nominarentur: secus verò, si quilibet haberet proprium nomen distinctum, & haberet limites suos distinctos; & tunc, etiam si sint fundi ejusdem naturæ & qualitatis, & omnes sint contigui, quæsita possessio in uno, vel parte ejus, non censeatur quæsita in aliis; quia per diversitatem nominis censeatur

inter se fundi distincti, & separati: ita probat mihi text. notabilis & expressus in *dict. leg. Caius. §. Titius de legat. 2. ubi, unus & idem fundus judicatur, quando utraque pars fundi nominatur uno & eodem nomine: ergo aperte dat text. intelligere, quòd si diverso nomine nuncupantur, reputantur diversi fundi: si diversi, ergo apprehensa possessio in uno, non censeatur quæsita in aliis: & ita illum text. intelligit ibi solus Paul. de Castr. qui subdit, quòd si totus fundus continuabatur, nulla facta divisione, tamen singulæ partes habebant singula nomina, & testator legavit simpliciter fundum sub nomine unius partis; non censeatur legasse omnes partes, sed tantum illam nominatam: quod est singulare, & dicit sibi contigisse de facto. Facit etiam bonus text. in leg. *Quod in rerum. §. Si quis poss. de legat. 1. text. in leg. *Locus. ff. de Verbor. significat.***

Secundò intelligo prædictam communem doctrinam, quando fundus ejusdem qualitatis & naturæ esset tamen divisus per limites; quia in dubio semper censeatur unus, ut dixi: secus tamen si esset divisus aliquo magno & notabili signo, puta, quia pars fundi esset vallata & confirmata aliquo edificio: quia tunc judicaretur diversus fundus, & apprehensa possessio in uno, non censeatur apprehensa in aliis, etiam si omnes eodem nomine nuncuparentur, argumento text. in *dict. §. Titius & ibi expressè tenet Paul. de Castr.*

Tertiò intelligo prædictam communem doctrinam, quando talis fundus ejusdem qualitatis & naturæ esset contiguus: secus verò si intervallum esset in medio, ut quia unus est in uno loco & regione, alius in alio: nam licet eodem nomine nuncupentur, apprehensa possessio unius non censeatur quæsita in alio: ita probat text. notabilis in leg. *Si quis duas. §. Si quis partem*, versic. *Plane. ff. Commun. pradior. text. in leg. *Communi dividundo. §. Neratius. ff. Commun. divid. & in terminis ita Bartol. in leg. 1. ff. de Rebus dubiis. 2. column. num. 3. & ibi Paul. 1. column. num. 2. & communiter DD. ita intelligendo text. in dict. §. Titius, & tenet etiam Paul. in eodem §. Titius.**

Quartò intelligo prædictam communem doctrinam, quòd per ingressum fundi non quæritur possessio aliorum fundorum, quando quis vult quærere possessionem per actum verum & naturalem possessionis, mediante titulo; vel quia res sunt vacantes: secus verò, si quis vellet acquirere possessionem per visum & aspectum oculorum, fundis existentibus in præsentia; quia tunc, modò sint penitus distincti & separati, modò non, potest illam acquirere concurrente

voluntate tradentis, argumento text. in leg. 1. §. *Si jusserim. ff. de Acquirend. posses. & in leg. *Quod meo. §. Si venditorem, eod. titul. ita tenet & declarat solus Romanus in leg. 3. eodem tit. 2. column.**

Ex quibus infertur notabiliter in practica, quòd quando judex vel executor mittit aliquem in possessionem plurium fundorum, debet servari prædicta distinctio: nam si fundus est unus & continuus, sufficit mittere in uno, vel in aliqua parte: si verò sunt plures realiter distincti, ex causis vel rationibus superioribus non sufficit mittere in uno, vel in aliqua parte pro aliis, sed particulariter debet mittere in quolibet eorum: quod aperte fundatur ex superioribus; & in terminis tenet Speculator in *tit. de primo Decreto. §. Jam de effectu*, versic. *Sed quæritur* præterea. Ex superioribus etiam infertur, quòd si hæres, postquam est factus dominus per additionem hæreditatis, vellet apprehendere possessionem rerum hæreditariarum, debet servari prædicta distinctio: nam si sunt plures fundi qui judicantur unus & idem, sufficit apprehendere possessionem unius, vel partis ejus pro omnibus: si verò sunt plures fundi distincti, ita ut supra declaratum est, tunc non sufficit unum apprehendere pro omnibus, sed particulariter debet apprehendere possessionem in quolibet eorum: ita expressè tenet Andreas de Isern. in *tit. quid sit investitura, in 2. column. in fin. & in princip. 3. in lib. 2. Feudor. Alexand. in dict. leg. 1. ff. de Acquirend. posses. 6. column. num. 22. Jas. ibi 6. column. num. 31. pro qua sententia in specie facit text. in leg. 1. §. *Veteris*, supra, *eod. text. in leg. *Qui absenti*, §. *fin. text. in leg. *Prædia, eod. titul. quibus probatur, quòd apprehensa possessione unius rei hæreditariæ, non censeatur quæsita possessio in aliis rebus, nisi particulariter apprehendatur. Nec obstat. text. ille notabilis in leg. *Restituta. ff. ad Trebellian. ubi disponitur, quòd restitutione unius tantum rei hæreditariæ facta per hæredem gravatum in fideicommissarium, inducit plenam restitutionem in omnibus aliis rebus: Quia ille textus debet intelligi respectu ipsius juris universalis, ut statim efficiatur dominus omnium rerum hæreditariarum: quia cum verbalis restitutio sufficeret, ut ibi, merito sufficit traditio & restitutio unius rei: sicut dicimus in hærede directo; quia additio hæreditatis, & actus gestus in una sola re hæreditaria, qui non potest fieri citra jus & nomen hæredis, inducit additionem in tota hæreditate universali: text. est in leg. *Si quis mihi bona. §. Sed quid si mandavit*, ibi: *Aur rem hæreditariam distrabat. ff. de Acquirend. hered. text. in leg. *Gerit, cum mater. text. in leg. *Pro hære-********

de, text. in leg. *Si ex asse, eod. titul.* Secus tamen est in acquisitione possessionis: quia una re restituta per hæredem gravatum, vel una re apprehensa per hæredem directum, non quæritur possessio in aliis, nisi expressè apprehendatur: ita expressè tenet Bartol. in *dict. leg. *Restituta, in princip. & communiter DD. Din. in cap. 1. de Reg. jur. in 6. 4. quæst. & ista est intentio Bartol. in leg. 3. supra eod. 2. column. num. 5. & ista est veritas: & facit expressè text. in leg. *Cum hæredes infra, isto titul.***

Item juxta prædicta notabiliter quæro: Si hæres, vel alius successor universalis vellet quærere possessionem rerum mobilium existentium in aliqua domo, vel re, utrum sufficiat apprehendere possessionem ipsius domus, vel rei, in qua prædictæ res mobiles continentur? Et breviter dico, quòd sic: quia qui possidet continens, videtur possidere contentum, argumento text. in leg. *clavibus. ff. de Contrahend. empt. ubi, apprehensa possessione clavium, sub quarum custodia sunt merces, vel aliqua res, statim quæritur possessio earum: ergo melius & à fortiori, apprehensa possessione domus, vel rei continentis in se res mobiles, censeatur quæsita possessio earum, si ad hoc concurrat animus: & ex isto fundamento & ratione ita singulariter Bartol. in leg. *de His, Cod. de Furtis 1. column. num. 1. Alexand. in leg. 3. ff. de Acquirend. posses. fin. column. num. 27. Socin. ibi penultim. column. in medio, reputans esse notabile: Jas. ibi penultim. column. num. 33. Pro qua sententia facit bonus text. in leg. *Si ego. §. Si dotis autem causa*, vers. *Quid enim interest. ff. de Jure dotium*, ubi dicit text. quòd paria sunt, quòd res alicui tradantur, vel quòd de voluntate ejus ponantur in aliqua domo sua: quem etiam ad hoc consideravit Bald. in *dict. leg. de His*, facit etiam text. qui non allegatur, in leg. *Quod meo. §. Si venditorem. ff. de Acquir. posses. in princip. qui expressè hoc probat: Facit etiam expressus & notabilis text. qui ab aliquo non consideratur, in leg. 3. §. *Item feras, eod. titul. in versic. Alioquin, &c. ubi dicit, quòd si emo sylvam alterius, in qua sunt animalia, quæ non possideo, illa, ex eo quòd dominus vendens non possidebat: ergo si dominus possideret, emptor possidendo sylvam, possideret animalia. Facit etiam ultra eum optimus text. in leg. 1. §. *Plane si qua res*, juncto. §. *Superiori. ff. de Vi & vi armat. ubi dicitur, quòd licet interdictum istud unde vi, non competat pro violentia facta in re mobili, sed tantum pro immobili; tamen, si fiat violentia in re immobili in qua sunt aliqua res mobiles, bene competit illud interdictum, etiam pro illis rebus mobilibus, & sic idem ju-*****

judicatur de rebus mobilibus contentis in aliqua domo vel re immobili, quod judicatur de ipsa re immobili, quasi accessoria habeantur ad ipsam. Nec superiori conclusioni obstat text. in leg. *Qui universas, in princip. ff. de Acquirend. posses.* ubi, qui possidet domum, non possidet singulas res ibi contentas: Quia ille textus loquitur de rebus coherentibus suo integrali; quæ per se non judicantur; unde non possidentur singulariter, sed in concreto: sic ita ibi Ang. de Perus. Roman. & DD. facit *lex Eum qui adem in princip. & lex Rerum mixtura, in princ. infra de usucapionib.*

41 Item circa prædicta subtiliter quæro. Quid si aliquis intravit fundum, vel partem ejus, vel occupavit rem animo & intentione continuandi possessionem, cum ex aliqua causa crederet eam adeptam, quam antea numquam adeptus fuit? an ex tali actu & apprehensione videatur quærere possessionem de novo? Et exemplum hujus quæstionis potest esse: Si lapsu memoriæ credidit apprehendisse possessionem, vel sibi persuasum est procuratorem ejus accepisse, vel perdidit possessionem in absentia per lapsum decenni, vel aliàs. In qua quæstione Glossa singularis & ordinaria in leg. 3. ff. de Acquir. posses. in gloss. 3. in fin. expressè tenet, quod non videtur acquirere de novo: quia semper in acquirenda possessione necessariò requiritur animus & intentio quærendi, ut est text. in dict. leg. 3. & suprâ probavi, qui animus in præsentia deficit; ergo non quæritur possessio: Et istam conclusionem Glossæ tenet ibi Jacob. de Aren. Rayner. & Alber. 2. column. in princip. pro quibus facit etiam text. in leg. 3. §. *Subtilius. ff. de Condi. ob caus.* ubi, ille qui tradidit rem suam alteri, credens esse ejus cui tradidit, non transfert dominium in eum. Secundò facit text. in leg. *His qui putat, de acquir. hered.* ubi, ille qui se immiscuit hæreditati, credens esse necessarium hæredem, non videtur adire.

Sed his non obstantibus, contrarium est tenendum, imò, quod ille qui intravit animo continuandi, quærit possessionem de novo: ita tenet Bartol. reprobando illam Gloss. in dict. leg. 3. 2. column. num. 2. Paul. ibi, in fin. Imol. 2. column. post princip. Angel. ibi, in fin. notabiliter Roman. in 2. column. post princip. Aretin. 3. column. in princip. Cuman. 2. column. n. 18. Socin. 3. column. post medium. Jas. 4. column. num. 21. Vincent. 11. column. num. 31. Cuman. in leg. *Sed si nolit, eod. titul.* 1. column. post medium. Bartol. in leg. *Gerit. ff. de Acquir. hered. penultim. column. post princip.* idem Bart. in leg. *Sequitur. §. de Illo. ff. de Usucap.* & ibi Imol.

idem Bart. & ea leg. *Sequitur. §. Item Labeo, & ibi Angel. & Cuman. Bart. in consil. 206. 1. col. in medio*, ubi dicit, quod nullus reprehendit illam Gloss. nisi ipse Bald. in rub. extra de præscrip. 3. column. num. 16. Salycet. in leg. *Licet, Cod. de Acquir. posses. fin. column. in princip.* Alexand. in consil. 146. 3. col. in princip. 5. volum. Pro qua communi sententia. Primò facit text. notab. juncta Gloss. penult. in leg. 2. Cod. *Commun. utriusque juris*, ubi, si partes confirmant sententiam ipso jure nullam; talis confirmatio licet non validet sententiam, tamen inducit obligationem de novo, ut observetur vi pacti, vel contractus: & in suo casu ille text. est singularis in jure, secundum Bald. ibi, & ad hoc notat & commendat Bartol. Paul. & communiter DD. ibi, Bart. Paul. & communiter DD. in leg. 1. Cod. *qui pro sua jurisdic.* Sic ergo dicamus in nostro casu, quod ille qui intendit conservare & continuare possessionem, quam putabat habere, videatur acquirere de novo. Secundò pro ista sententia & conclusionem communi facit text. in leg. *Posthumus. §. Si paganus. ff. de Injusto rupto, & in leg. Si quis priori. ad Trebell.* ubi, si quis in secundo testamento approbat primum quod erat nullum; licet talis confirmatio non valeat, tamen inducit de novo restitutionem bonorum per fideicommissum. Tertiò facit text. in leg. *Quod vulgo. ff. Pro emptor. & in leg. Quis ob pactiorem, & in leg. Servus, eod. tit.* quibus probatur, quod si recipio rem à servo meo tamquam prius sibi traditam, & per eum mihi quæsitam, cum non esset talis animus continuandi: inducit acquisitionem de novo: Ergo sic dicamus in nostro casu. Quartò pro hac sententia facit bonus text. in leg. *Si in venditione in princip. ff. Commu. prædior.* ubi, si vendens fundum excipit servitutem, quæ nulla erat, potest eam constituere de novo, & sic animus conservandi operatur acquisitionem de novo: & illum text. pro nostra communi opinione considerat ibi Angel. de Perus. & notabiliter Paul. de Castr. ibi 2. column. num. 3. Quintò pro hac sententia & conclus. facit text. singularis in leg. *Si quis mihi bona. §. Sed quid si mandavit. ff. de Acquir. hered.* ubi disponit, quod si pater credebatur filium agnovisse bonorum possessionem quam non agnovit, & ratum habeat, illa rati habitio adhibita ad confirmandum actum qui non præcessit inducit mandatum de novo, ut filius possit adire vel agnoscere: Ergo dicamus in nostro casu, ut talis actus inducat acquisitionem possessionis de novo: & in expressò ad hoc illum text. commendat ibi Paul. de Castr. Imol. Aretin. & Alexand. nec est similis in jure secundum Jas. ibi 2. column. n. 3. ad hoc illum text. reputat

sin.

singularem Aretin. in leg. *Legata inutiliter. ff. de Leg. 1. 2. col.* reputat etiam singularem Jas. in leg. 1. §. *Si quis ita interroget. ff. de Verbor. oblig. 7. col. num. 17.* Sextò pro hac sententia & conclusionem ego considero vivam rationem: quia in dependentibus ab animo nostro, unus actus seu dispositio ex sola voluntate nostra convertitur in alium: textus est singularis in leg. *Cum quidem. ff. de Bonor. posses.* ubi dicit, quod legitimus successor ab intestato, qui egit querela falsi contra testamentum alicujus defuncti, & probavit intentionem suam, visus est adire: quem ad hoc notat & commendat ibi Bart. Alber. & comm. DD. antiqui: idem Bart. in leg. *Quemadmodum. ff. de Inoffic. testam.* idem Bartol. in leg. *Gerit. ff. de Acquir. hered. 5. column.* facit etiam text. in leg. *Filius familias. §. Ut quis hæredem. ff. de Legat. 1. text. in leg. Ex factò. ff. ad Trebellianum, text. in leg. Qui filium eod. titul.* Sic ergo dicamus in proposito, quod actus retinendæ possessionis convertatur in effectum acquisitionis, cum solum hoc pendeat ab animo gerentis. Nec obstat ratio in qua se fundabat Glossa ordinaria in dict. leg. 3. & DD. eam sequentes, scilicet, quod illo casu deficit animus & voluntas possidendi: Quia ille qui vult continuare possessionem, apertè vult possidere, & jura non requirunt animum acquirendi de novo, sed tantum simpliciter possidendi: ita subtiliter respondet & declarat Bart. in dict. leg. 3. & communiter DD. ubi suprâ. Pro qua consideratione est casus melior de jure in leg. 1. §. *Adipiscimur. ff. de Acquirend. posses.* ibi: *Quia affectionem tenendi non habent.* text. in §. *Per procuratorem, ejusdem leg.* ibi: *Animum possidendi, text. in leg. 3. §. Neratius, eod. titul.* ibi: *Atque possidendi.* Neque obstat etiam text. in leg. 3. §. *Subtilius. ff. de Conditione ob caus.* Quia ibi dominus qui tradebat rem, non intendebat à se abdicare dominium ejus, in casu quo esset sua; sed solum restituere eam tamquam alienam: unde, accipiens non potuit quærere dominium, argumento text. in leg. *Id quod nostrum. ff. de Regul. juris.* Secus verò in nostro casu, ubi possessio erat vacans, & talis, quæ potuit quæri animo & corpore ingredientis vel occupantis: unde, meritò illam quæsivit, quia intervenerunt necessaria, scilicet, actus corporeus, & animus possidendi, licet crederet continuare & non acquirere de novo. Et ista est intentio Bartol. Imol. Roman. & Modernorum in dict. leg. 3. licet sic non declarent. Nec obstat etiam textus subtilis, in leg. *His qui putat. cum lege sequenti. ff. de Acquirend. hered.* de quo nimis dubitat Paul. Imol. & Moderni in dict. leg. 3. Quia respondeo punctualiter & verè, quod ibi hæres

ex errore credebatur gerere actum necessarium, quem evitare non poterat, cum credebatur se necessarium hæredem, & repudiare non posse: & fortè, si sciret se voluntarium, non adiret: unde, ideò ille animus continuandi non inducit acquisitionem de novo; quia in additione hæreditatis oportet quod quis intelligat causam suæ additionis, ut in leg. *Quod si dubitet, eod. titul. cum similib.* ita apertè tenet & declarat Gloss. Bartol. & communiter DD. in dict. leg. 3. ff. de Acquirend. posses. 5. column. in medio.

42 Ex superioribus infertur ad notabilem & subtilem quæstionem: Qualiter acquiratur possessio in jurisdictione? In qua resolutivè propono tres principales, veras, & communes conclusiones: Prima conclusio. Quod si quis habet titulum vel jus in aliqua villa, castro, vel territorio, per ingressum ejus & naturalem apprehensionem ædificii non videtur acquirere possessionem jurisdictionis, etiam concurrente voluntate domini concedentis, vel concurrente legitimo titulo ex contractu, vel ultima voluntate; quia unum est longè diversum ab alio: Unde, requiritur usus & exercitium jurisdictionis, argumento text. in leg. *Quoties, la 2. ff. de Servit. & in leg. 2. cum materia, Cod. de Servitut. & aqua* & in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Bartol. in dict. leg. 3. ff. de Acquirend. posses. fin. column. & quæst. & ibi Vincent. tenet fin. column. n. 15 licet Alexand. ibi, penultim. column. teneat contrarium, imò, quod per ingressum castri, & naturalem apprehensionem ædificii quæratur possessio jurisdictionis; & dicat, quod ista est intentio Bartol. & idem tenet Socin. ibi, fin. col. in fin. Sed advertendum subtiliter, quia contra hoc videtur facere text. in leg. 3. versic. *Dare. ff. de Usufruct.* ubi habetur, quod per ingressum fundi, vel partis, de voluntate concedentis, vel hæredis, acquiritur jus incorporale ususfructus, vel alterius servitutis, sine aliquo usu vel exercitio, ut latius dixi & fundavi suo loco. Sed respondeo, quod ibi loquitur in usufructu, vel alio jure servitutis realis, vel mixto, quod cohæret rei, vel rei & personæ: nostra verò conclusio loquitur in jurisdictione, quæ est merè personalis, & principaliter cohæret personæ, licet debeat exerceri in territorio, ut plenè & magistraliter tradit Bartol. in leg. 1. ff. de Jurisd. omnium judic. in fin. & ibi communiter DD. Secundò etiam contra hoc videtur obstat: quia, possessa vel præscripta re principali, censentur in consequentiam possessa & præscripta omnia ejus accessoria: text. est in leg. *Si aliena, §. 1. ff. de Usucapion.* ubi habetur, quod præscripta re, censetur præscripta servitus, etiam dis-